BIBLIOTHÈQUE VICTOR COUSIN
11
MANUSCRITS
4

COLLECTION

D'AUTOGRAPHES

DE

VICTOR COUSIN

—

IV

—

PHILOSOPHES

1622 - 1806

BIBL. VICTOR COUSIN
Manuscrits 4
N° ancien

Letter 12e. du 3e. tome,
page 88.

† 28 octobre
1640

18

(~~21~~) (30)

Reuerendissime Pater

Vidi responsionem a R.di P. huius Societatis per R. P. Bourdin ad me scriptam, talisque apparet vt maximas illorum virtuti et humanitati gratias me debere existimem: Quod litteris ad ipsos datis significarem, nisi verear ne forte, si rursus illos obi, nihil necesse est interpellem, indicent me scripturire minus libenter: Et quia maior mihi familiaritas cum V.a R.a quam cum illis intercedit, puto hic opportunius ea scribi posse quæ illos a me scire velim. Nempe in primis et gaudere me et gratias agere quod tam humaniter et benevole responderint. Quod autem addant, nullum a se suscipi, sed nec iri susceptum peculiare prælium aduersus meas opiniones, nescire an mihi gaudendum sit vel dolendum: Nam si forte abstineant vt mihi gratificentur, tanquam si ex illorum numero essem qui agere ferunt sibi contradici, valde doleo nondum ipsis potuisse persuaderi me nihil magis optare quam vt discam, atque vt meæ opiniones, si quæ falsæ sint, et mature, et ab illis potissimum refutentur, ne forte familiam ducant. Si vero aliam ob causam abstineant, quia tantum vna alia esse potest, nempe quod nihil (saltem quod sit operæ pretium) in meis scriptis inuenerint quod falsitatis argui possit, aduocatum lator. Et fauc sola est temitatis meæ conscientia quæ prohibet me in hanc maxime partem propendeam. Neque enim fit verisimile illos negligere commodum quod vniuersa res litteraria ex errorum meorum, si quos habeam, refutatione colligeret, vt mihi commodi indeantur. Et quicquid eâ de re sit, cum non aliam ob causam R.dus P. Bourdin mihi, vt scribit, antehac dederit petitioni meæ, in dissertationis de Methodo pag. 75 expositæ, quam quia illam non perlegerat, confido saltem in posterum quoties alicui eorum aliquid occurret quod meis opinionibus aduersabitur, illud mihi ab ipso communicatum iri; atque hoc prius quam vlli ex inuioribus illorum discipulis; tum quia ego antiquior sum, illorum etiam discipulus; tum quia si forte (vt omnes homines

sumus

28. octobre
1640.
v. 57

48. C

summus, et iam R.i P.is Bourdin exemplum testatur) contingeret illum non assequutum fuisse meam mentem, a quinus est ut me ipsum eius sumat interpretem, quam ut aliquid a veritate alienum alijs dicat, tum denique quia illos omnes quam maxime semper colui et observaui.

Quantum ad Gallicam epistolam quam vestra R.a simul misit, vt sibi ante aliquot septimanas a R. P. Bourdin ad me datam, quamuis nec superscripta, nec subscripta nec data sit, quia tamen video illam esse eius sit mentio in Latinâ his verbis, Nihil addam ab eo quod eidem R. P. priùs significaui etc. eiusdemque R. P. Bourdin manu scripta est, nonnihil puto etiam ad eam debere responderi. Nempe nunquam me esse conquestum quod nomen meum tacuerit, sed contra potius gratias agere quod vbi debebam vapulare non nisi personatum produxerit. Mirari autem quod iterum dicat, nec tamen probet, apparere ex meis scriptis solam determinationem de extrorsum manere in reflexione: Nam sane ipsummet nomen reflexionis significat corpus deorsum impulsum, non dextrorsum magis quam sinistrorsum, sed necessario sursum resilire. Deinde quamuis de isto resultu nihil dixissem, iuxta quam quaso analysin sequitur me idcirco illum negasse? Pari iure quoties Geometræ loquuntur de quadrati angulis, nec expresse dicunt rectos esse; vel de circuli diametris nec addunt esse inter se æquales, putandum erit illos id negare, nullaque vbi tam accurata et Mathematica erit demonstratio in quâ non perfacile sit hac arte monstra opinionum imenire. Miror etiam quod affirmet meam de reflexione demonstrationem non valere, imo potius contrarium eius quod intendebam in eâ concludi: cum interim dicti nullam plane asserat rationem: Nam quia si verum diceret ego ineptissimus et stultissimus essem putandus, vt pote qui in re tam euidenti tam turpiter essem allucinatus vt verba nihil nisi contrarium eius quod intendebam probantia pro Mathematicâ demonstratione venditassem, maledicit mihi, et iniurius est, et calumniatur, quandiu hoc dicit et non probat. Neque illum excusant ii tractatus quos eâ de re se composuisse affirmat, nec quod quædam ex iis excerpta se ad me mittere hic scribat, nihil enim interim mittit; Et magna in eo est

iniquitas

que la determination a dvoit demeure seule, ainsy qu'il parloit dans vos escrits

le raisonnement ne faisoit aucune chose, ains plutost concluoit le contraire,

iniquitas quod sibi velit in præsens credi, de re cujus rationes in diem tantum promittit: et forte in diem nunquam venturam quia nempe aliter, ut ait, suaserunt amici. Miror præterea quod addat prætensam meam demonstrationem posse accommodari, per vias sibi cognitas, sed quarum nulla vidit vestigia in meis scriptis, imo, ut ait, quas reticio tanquam ad rem non facientes: Hæc enim conferendo cum quintâ et sextâ ex suis thesibus Opticis pag. 9, cumque integrâ ejus velitatione, nihil aliud mihi possum persuadere quam illum de reflexione et refractione eadem, quæ ego, et multos ante me, demonstrasse, discipulos suos docuisse, mutatis tantum verbis et distortis ut aliud dicere videretur, quædamque alia inepta mihi affinxisse, ut ea deinde corrigeret atque culparet. Nam quod affinxerit, ex velitatione manifestum est; Quod verba distorserit, apparet ex 5ª thesi, in qua vocat angulum refractionis non illum quem ego cum cæteris omnibus Opticis, sed illum alium qui angulus refractus solet nominari: Et cum ego Dioptrices pag. 21 l. 8. dixerim inclinationem linearum esse mensurandam secundum perpendiculares, quæ nempe brevissimam lateris a latere distantiam designant, non autem secundum angulos sive arcus circulorum, hic pro istâ inclinatione angulos substituit, atque illos angulos esse mensurandos secundum brevissimam lateris a latere distantiam; Quod interim idem quod ego docuerit patet tum ex suæ velitatione, in qua omnia quæ ad meam demonstrationem requirebantur concessit, nec nisi monstra illa quæ ipse finxerat oppugnavit; tum ex 6ª thesi jam citatâ, quæ idipsum tantum continet quod inventi ea in re mei principium est, præterquam quod verba a meis ~~differta~~ diversa, minimum affectans graviter in eo erraverit, quod dixerit, Ut medium in quo fit incidentia ad medium in quo fit reflexio aut refractio etc. neque enim fiunt in ipsis mediis, ut apud omnes Opticæ peritos est in confesso, sed refractio fit in superficie quæ duo media interjacet, reflexio vero in eâ quæ unum terminat, nam nunquam, ubi fit, duo media occurrunt, quin refractio illi adjungatur. Neque hic habet

ullum

qu'on pourroit adjoûter la demonstration pretendue par des verres, qui ne paroissent, et desquelles je ne voy aucun vestige dans vos escrits. J'adjoûteray que mesme vous refuser comme hors de propos

ullum effugium, nisi forsan dicat superficiem ipsam Medium a se appellari, quia media est inter duo illa spatia quæ ab aliis Media dicuntur, atque ita verborum significationes mutare pergat, et omnia confundere: Quæ hic obiter addo, ut intelligat se non difficulter a me, si velit, impetraturum, quod hactenus ab ipso non potui, nempe ut meas, contra ea quæ in lucem edet, rationes ipsi exponam; Quod denique videri voluerit errores meos correxisse, declarat eius epistola, in quâ præter iam meam demonstrationem dicit posse accomodari per vias sibi cognitas, non autem mihi qui illas, ut ad rem non facientes reiici. Quæ eadem multo adhuc magis illum apud alios, ubi nemo mihi adest animus iactitare credendum est, quandoquidem in hac ipsâ ad me epistolâ scripsit, quod forte non fecisset, nisi ut apertam relinqueret. Cæterum hic non dico illum in omnibus meas opiniones esse secutum, neque enim nisi valde pauca ex eius scriptis vidi, sed plane affirmo neminem unquam contra ea quæ de hac materiâ vulgavi argumentaturum, nec etiam quicquam dicturum quod cum meis non consentiat, quin ab illo vel paralogismum vel cavillationem committi probem. Faciat modo periculum vel in unico exemplo, et quidem in eo quod optimum putabit ex iis omnibus quibus se meas opiniones refutasse tanto strepitu iactavit, et dabo libenter manus si falsum aut ineptum esse non demonstrem. Sed si id præstare, vel si recuset mihi sua argumenta declarare, rogo illum etiam atque etiam ne amplius de me male loqui perseveret, ne tandem cogat me meum ius etiam publice defendere. Malim enim ut præterita sopiantur, et me sibi suisque addictum esse experiatur.

Sum

Reverendissime Pater

V.R.

Lugduno Bat. 28 Oct. 1640

Devotissimus famulus

pour le R.d pere Mersenne